

# LAVS REI HERBARIAE

AUCTORE FRANCO

ESTIO GORCOMIO.

**E**T querimur celerésque colos, annósque fugaces,  
Et maturantes abscindere stamina Parcas,  
Praconésque necis properare in vertice canos;  
Cum bona tot nobis tellus producat & vnda,  
Cum nos diuinis munitos mentibus ille,  
Ille opifex rerum spatiosi prouidus orbis  
In medio positos rimari iusserit, vnde  
Auxilium miseris poscamus casibus, & cum  
Pharmaca tot passim lethi tardantia pennas  
Larga sui Natura dedit, sic obuia cuique,  
Ut calcanda etiam pedibus nolentibus essent.

Nam quid tam vile est, sua vis, sua lege pereunni  
Munia cui desint, calóque potentia ducta?

Aspice florentes inculto germine campos  
Sponte sua vestire solum, glebáque feraci  
Non expectatas vlli prorumpere stirpes,  
Haud oculos solum ut pascant, narésque sagaces  
Detineant blandum late fragrantibus auris,  
Intus maior inest vigor, & latet abdita in imis  
Visceribus vulgo non obseruata potestas,  
Qua cymbam possit reuocare Charontis, & acrem  
Fallere Persephonen, Diti que auertere pradam,  
Miremur reduces nunc ut minus Aesonis annos,  
Canitiémque nigris subito cessisse capillis.

Hippolytus crimen scelerata turpe nouerca  
Dum fugit, & patrium pudet incestare cubile,  
Arida dum celeri metitur littora curru,

Et maestus superósque Deos testatur & imos;  
Extemplo vasta tollens se mole per vndas  
Bellua turbat equos; illi diuersa petentes  
Hac illacque ruunt, nec iam patiuntur habenas.

Excidit infelix, animámque per auia fundit  
Implicitus loris, & inundant saxa cruore.

Ingeniuit nemorum viduata satellite virgo,  
Et mota ingenti planxit Dictynna dolore:

Te tamen arcebo Stygiis, nisi fallimur, umbris.

\* 5

Nequa-

*N*equaquam frustra studiis operate Diana  
 Caste puer, viues, & habent hac fata regressum.  
 Dixit, & his verbis Epidauri exorat alumnum:  
 Herbarum succique potens, tibi templa, tibi aras  
 Mortales statuent, mercésque erit ultima calum.  
 Si meus est frater genitor tuus, annue nobis,  
 Et titulis Triviam patiāre accedere vestris.  
 En meus Hippolytus furiis distractus equorum,  
 Dum patris inuicti fœdare cubilia vitat,  
 Incestaq; pudens renuit commercia Phœdra,  
 Scilicet ut referat pretium pietatis amarum,  
 Pallidus in ripis & sanguinolentus oberrat,  
 Quā limosa palus stat pigra immobilis vnda,  
 Multaque in exigua transmittit millia lintre.  
 Forsitan & metuit, cladis terrore recentis,  
 Ne noua Lethro se bellua gurgite tollat.  
 Hic opus arte tua est, valido medicamine siste  
 Preproperos manes, vitamque in membra reduce.  
 Magna peto, sed magna potes: tibi Cynthia supplex,  
 Audi amitam Dis chare tuam, Numenque triforme  
 Te numquam credas nulla mercede rogare.  
 Iussa facit senior, lacerosque recolligit artus,  
 Vitalemque animam pollutibus ingerit herbis,  
 Et vacuas succis venas medicantibus implet.  
 Victa pedem mors atra refert, Theseius heros  
 Vixit, habetq; sacros inter sua numina lucos  
 Vallis Aricina custos, & Virbius audit,  
 Ex re nomen habens; at Pasiphaeia noctes  
 Flet totosque dies, fraudemque scelusque fatendo  
 Plurima se incusat, mortemque miserrima querit.  
 Tantus inest herbis vigor & vis insita celo,  
 Graminibusque sua est vel vilibus addita virtus.  
 At rudis olim atas mundique nouitia pūbes  
 Non fruticum vires, non auxiliare notabat  
 Robur, & euulsis innata iuuamina plantis,  
 Et foliis nullam, nullam radicibus vllis  
 Spem credit morbos tollentis inesse medela,  
 Eaq; laboratis cultæ Zephyritidos hortis,  
 Floręque tot passim vario radiantibus aruis  
 Friuola nil præter delectamenta petebat;  
 Pulchra Deos uno donec Latona gemellos  
 Enixa est partu, & firmo stetit insula fundo.

*Nata*

*N*ata Aquilone graui iactari Delos & astu.  
 Illa Panomphaei soboles tum clara tonantis  
 Extulit os sacrum, patuloque salutifer orbi  
 Suppetias miseris primus tulit auctor Apollo,  
 Mille opifex rerum, nec tantum callidus arcus  
 Figere lunato diris animata venenis,  
 Sternereque ingentem missis Pythona sagittis;  
 Sed Libycum virus, sed noxia quaeque per orbem  
 Viribus herbarum, succoque medente fugare,  
 Atraque vipereos hebetare in vulnere morsus.  
 Ille etiam si tetra lues, si tabida cali  
 Corrupti vulgus contagio serpat in omne,  
 Si grauis Autumnus, rabido vel Sirius astro  
 Aera contristet, vitiet fontesque lacusque,  
 Multiplicetque rogos numero sine lethifer annus,  
 Igne vaporatas contusis frondibus ollas,  
 Poculaque instituit lento medicata camino,  
 Edocuitque quibus cedat febris arida plantis,  
 Quae pestem, aut acrem pleuritida potio sistat.  
 Tunc honor immensus per terras protinus omnes  
 Arboribusque Satisque fuit, tunc Stirpibus ingens  
 Gloria, nec lucta tantum liquor aptus oliui,  
 Nec placuit tantum sapida dulcedine Lotos  
 Orbatura suis Ithacæque Samæque colonis.  
 Tunc Myrrha lachrymis decus & laus plurima venit,  
 Et sua maiestas sudatis cortice guttis.  
 Sed neque Panchæos memorare ex ordine odores,  
 Balsamæque, & Costum, & baccam frondentis Acanthi,  
 Diuitiasque Arabum, & ferientes athera siluas  
 Cura mihi, nostris sunt terris roscida Tempe,  
 Et nemus Alcinoi, & pictis viridaria campis;  
 Nilque adeo abiectum est, nihil est tam vile, sacratum  
 Quin medicamen habet: Bulbo Maluæque potestas  
 Est sua, & Vrticis; mentes adhibete fidemque  
 Mortales multa scrutati indagine, numen  
 Non deerit, Superique volunt sua munera queri,  
 Munera fatidico quæ postquam Cynthius ore  
 Nudauit penitus, iussitque ediscere cunctos,  
 Succedens patriis Epidaurius artibus orbem  
 Impleuit meritis, & quamlibet ictus auitis  
 Fulminibus, celo potitur tamen, & Deus astra  
 Possidet; huic solers subiit Podalirius, & qui

*Crura*

Crura Philoëteta Lernæo tarda veneno  
 Sanauit nulli concedens arte Machaon.  
 Hinc ope Pæonia postquam experientia creuit,  
 Et caligantes tenebras vaser expulit vsus,  
 Quilibet exultat; iam maximus ille Galenus,  
 Hippocratesq; sacer Parcis extendere fila  
 Præcipere, atque hominum prohibere incidere fata.  
 Indoluit stupuitq; Charon, naulumq; minutum  
 Littore paulatim vacuo decrescere sensit,  
 Otiaq; indixit cessantibus Æacus umbris.  
 Quò non diuina prorumpit mentis acumen,  
 Ingeniumq; sagax? præclara reperta nepotes  
 Ne lateant seros, ventura in sæcula gnauì  
 Mandarunt patres victuris omnia chartis.  
 Jamque malis hominum per tot crescentibus annos,  
 Arsq; salutaris simul atque industria creuit,  
 Magnaq; per terras medicorum turba patentes  
 Luctatur fatis, spoliisq; superbit Auerni.  
 Parcite mortales mimitantia sidera cæli  
 Respiciere, & nimium rebus trepidare futuris,  
 Si lugubre micet cauda flammante Cometes,  
 Sanguineaq; faces, si lapsi gutta cruoris  
 Nil leue portendat, gladiuq; per aëra stricti,  
 Plurimus eq; polo descendat tabidus ignis;  
 Jam contra parat arma catus, dirisq; minatur  
 Exitium furiis, & mortem prouocat ipsam  
 Herbarum fruticumque sciens, vir maximus arte,  
 Maximus ingenio, patria noua gloria nostræ,  
 Læusque suis ingens non vno nomine Belgis  
 Rembertus spes magna hominum, & tutela Deorum;  
 Quem Dodonæo seductum vertice Phæbus  
 Edocuit, magnique Iouis decreta reclusit.  
 Hic opus exacta nouies trieteride tersum,  
 Sudatumque diu, multa que incude nouatum,  
 Inuidiam facturum Erebo, populoque silentium  
 Parturit, humana miserans incommoda gentis,  
 Quo nihil utilius dilucidiusque vetustas,  
 Non ætas par nostra tulit, per seque coruscum,  
 Interpretæque sui, nebula tenebrisque remotis  
 Externa nil lucis eget; sed qualis in astris  
 Ipse laboranti defecta luce sorori  
 Succurrit Titan, & stellas lumine pascit

Largus

Largus opes proprias diffundens solus in omnes,  
 Sic hoc Scriptorum veterum monumenta volumen  
 Illustrat splendore suo, noctemq<sub>3</sub> recentum  
 Arte noua pulsa penitus caligine nudat.  
 Jure igitur viuax, omniq<sub>3</sub> perennius ære  
 Maiestate sua stabit, nec firmitus ullum  
 Olim cudit opus vapida fornacibus Ætne  
 Cyclopum lassata manus, ferroq<sub>3</sub> coacta  
 Sudantis rara sub veste Pyracmonis artes  
 Sentiscent eui cariem prius, & solida spe  
 Fraudatus Steropes operam plorabit inertem.  
 O qua fama tuas olim sectabitur umbras?  
 Venturi quantus populi memoraberis ore  
 Dodonæ pater? quanto celebrabere plausu?  
 Cum tibi se passim debebunt plebsque, patresq<sub>3</sub>,  
 Seruatiq<sub>3</sub>, senes, ignaraq<sub>3</sub> virgo mariti?  
 Funera quid metuis? uiuet post busta superstes  
 Pars immensa tui, nulloq<sub>3</sub> taceberis euo,  
 Atque ipso à senio sumet tua gloria vires.  
 Nam prius astra polum toto radiantia celo  
 Destituent, sterilesq<sub>3</sub> fragosum littus arena,  
 Inq<sub>3</sub> autumnali noua palmitum gemma tumebit,  
 Et pede pressa fluet tepido vindemia Vere,  
 Quàm taceant nomenq<sub>3</sub> tuum, laudesq<sub>3</sub> minores,  
 Irritaq<sub>3</sub> intereant opera conamina vestra.  
 Utq<sub>3</sub> semel dicamq<sub>3</sub> simul, nisi me omina fallant,  
 Vna eademq<sub>3</sub> dies lustris labentibus orbi  
 Atq<sub>3</sub> operi fatalis erit, pariterq<sub>3</sub> peribit  
 Ille tuus sudor, pariter chaos omnia mæstum  
 Confundet, calum terris, atque ignibus undas.  
 Interea iam sume lubens pro tempore Musis,  
 Remberte, auspiciis quas cumque propino tuarum  
 Primitias laudum, & iam nunc assuesce futuris,  
 Ac meritis dudum quasitos concipe fastus.

REMB.